



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Vitæ S. Ferdinandi, Regis Castellæ Et Legionis, Ejus
Nominis Tertii**

Papebrochius, Daniel

Antverpiæ, 1684

Prologus primi Editoris, in Chronicam sancti Regis Ferdinandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42333

PROLOGUS PRIMI EDITORIS

In Chronicam Sancti Regis Ferdinandi.

Magnifico & Prænobili Domino,
Don Fernando Enriquez.

INter alias scripturas, Magnifice ac Prænobilis Domine, quæ reperiuntur in bibliotheca hujus sanctæ Ecclesiæ Hispalensis, inveni historiam sancti Regis Don Ferdandi, qui acquisivit sibi hanc insignem & prænobilem civitatem. Quamvis autem Summaria quædam hujusmodi Chronicæ fuerint impressa; conducibile tamen mihi visum est, etiam hanc prælo subjicere: utpote copiosiore, & quia in ea diffuse narrantur Regis illius heroica facinora, æternâ memoriâ digna; ac denique ne diutius conclusa detineatur historia, tantopere expetita, præsertim in hac prænobili civitate quam obtinuit non sine labore maximo, propriæ vitæ periculo, impendioque suorum redituum & thesaurorum; quos præmisit in cælum, istic sibi restituendos. Quia autem ad perfectionem historiæ opus est paulo altius repetere ejus originem; incipit narratio à Rege Alphonso, sancti Regis avo, filio Sancii cognomento Desiderati, quo melius intelligatur ordo Regii sui stemmatis, nobiliumque & illustrium ejus operum. Longum enim & confusionis plenum opus foret, ipsum deducere per omnes illos Reges, qui Sanctum regnando præcesserunt; nostræque intentionis dumtaxat est texere illius historiam. Hæc vero emendanda fuit, aut (ut expressius loquar) renovanda, quoad pronuntiationem nonnullorum vocabulorum antiquorum, ut à modernis melius intelligantur.

*Post quoddam
Summaria
antea edita*

*ipsa Chronica integra
profertur:*

*Et tantum
quoad voces
aliquas in-
novata,*

2 Quia autem ad Dominationem vestram, tamquam

*efferturque
D. Fernan-
do Enri-
quez,*

quam primum Equitem civitatis hujus, & ejusdem cum Sancto nominis consortem, pertinet præcipue favere magnis & nobiles facinoribus ejus; existimavi quod merito deberem ipsi inscribere hanc Chronicam, ut sub ejus auctoritate & favore publicetur in gratiam legere cupientium: idque eo magis, quod Dominatio vestra, hoc anno millesimo quingentesimo decimo quinto, in festo S. Clementis, efferens Gladium ipsius sancti ac beatissimi Regis, quando celebratur solennissima processio, in memoriam ejus diei quo acquisita hæc civitas fuit; & existens in capella Regum, demonstravit desiderium videndi ipsius Chronicam. Hoc enim me permovit, ut ad obsequendum voluntati istius tuæ eam emendarem, sicut dixi, & nomini vestro inscriberem: quo scilicet, nec non ingenuis tuis ac nobiles moribus, imitaris eundem.

*eum excu-
satione mu-
tati leviter
Styli.*

3 Credo equidem non defuturos, qui me reprehendant, dicantque non debuisse mutari vocabula antiqua, quæ plus majestatis & auctoritatis quam moderna videntur habere. Verum illis facile respondetur, quod dum historia aliqua Latina in linguam nostram vulgarem convertitur, non utamur Latinis vocibus, quantumvis magis sonoris quam sint nostra Romana; sed idiomate secundum tempus usitato: quem usum videmus intra spatium quadraginta aut quinquaginta annorum notabiliter mutatum ab eo qui ante fuerat. Verum favente Dominatione vestra, hæc & alia maledicorum diæteria parum mihi curæ sunt, aliud non ambiens quam ut maneam, quod sum, famulus vester. Tali ergo fiducia & robore nitens Historia invocato nomine Dei, & Virginis Mariæ Dominae nostræ matris ejus; suisque & vestris protecta armis, initium accipit, quemadmodum sequitur.